

DE ORIGINE COELIBATUS CLERICALIS.

ut cum nuptias secundas diuratiunculis & modis indignis vellicasset, tandem totus in lutum Montanæ hæreseos prolapsus, etiam primas parum probaret, alteras penitus damnaret: ac secundum matrimonium stupri speciem disertè pronuntiaret, libris de Castitate, & de Monogamia editis: quibus *Paracletum* Montani aperte laudavit: dissentientes contemtim *Psychicos* appellavit. Quibus vero argumentis? Apostoli scilicet pessimè contortis. Bonum est homini mulierem non tangere. Ergo malum est tangere. Matrimonium permittitur: non ergo est merè bonum. Matrimonium impedit orationem. Ergo malum. Quale enim bonum, quod orare prohibet? Sacerdotum est semper orare. Nunquã ergo uxori operã dare. Melius est nubere quàm uri. Quale vero bonum, quod melius est malo? quod non potest videri melius, nisi pessimo cõparatum? ut ideo bonum sit nubere, quia pejus est ardere? An vero bonum est habere oculum unum, quia melius est quàm habere nullum? Bonum est, sic esse sicut ego sum: Ergo malum, non sic esse sicut erat apostolus? Numerus matrimonii à maledicto viro cœpit. Olim quidem locus erat dicto: *Crescite & multiplicamini, & replete terram.* Nunc supervenit vox alia: *Tempus jam in collecto est, ut qui uxores habent, sint tanquam non habentes:* utique continentiam indicens, & compescens concubitum seminarium generis, abolefcit: *Crescite & multiplicamini: nuptia terram replent: virginitas paradisum.* In terra bona fructus centesimus est martyrii, sexagesimus virginitatis, tricesimus viduitatis. Nullus igitur matrimonii. *Quæ innupta est, quæ sunt Dei curat, ut sit sancta corpore & spiritu. Quæ nupta est, quæ mundi sunt*

Secundæ nuptias damnavit Tertullianus.

Tertulliani argutio contra nuptias.

Gen. 1.28.  
1. Cor. 7.29.

1. Cor. 7.34.